

latius Almainus, in 3, dist. 23, quæst. 1. Qui idem actus, qui erat bonus, quia incipit esse solum excipit Dei amorem. Fundamentum est, quia putant bonitatem et malitiam accidere actui voluntatis, ideoque successive posse absesse et adesse.

2. *Secunda opinio etiam affirmativa quoad actum externum.* — Secunda opinio dicit actum exteriorem posse esse successive bonum et malum, quia potest a diversis actibus voluntatis successive manare, sic enim homo interdum incipit bona intentione operari et operationem perficit mala intentione: tunc autem putant necessarium esse actum interiore mutari, nec posse eundem numero actum, qui in principio fuit bonus, successu temporis fieri malum: ita Conradus, 1, 2, quæst. 19, art. 1, et putat esse opinionem D. Thomæ, quæst. 10, art. 6, ubi de actu exteriori querit, an possit esse successive bonus et malus, quod de interiori non quæsierat, et de illo affirmsat solum quatenus idem actus exterior successu temporis potest procedere a diversi voluntatibus bona et mala, et hanc sententiam defendit Gabriel, in 8, dist. 41, q. 4, art. 2, significat Richardus, quæst. 1 et 2.

3. *Notatio pro resolutione.* — *Prima assertio.* — Resolutio hujus quæstionis est facilis, si consequenter loquamur juxta principia posita, et potest ampliari hæc quæstio, seu varie comparari, non solum, an actus possit fieri ex bono malus, sed et contrario: aut ex non malo malus, aut et contrario: suppono etiam ex supradictis actum voluntatis posse considerari præcise, ut elicimus, et ut sic vocari proprie, et in rigore interiore, vel ut imperatus, seu imperabile, sub qua ratione est quodammodo exterior. Dicendum est primo. Si actus voluntatis, ut elicitus, et pure interior, est bonus, non potest idem manens fieri malus. Probatur ex dictis, quia ille actus est bonus ex vi sui subjecti, et circumstantiarum quatenus transeunt in rationem objecti: aut ergo mutatur objectum, vel non; si non, ergo nec mutatur bonitas actus, quatenus elicitus est: si vero objectum mutatur, ergo et ipse actus: ergo non fit malus actus, qui erat bonus, sed potest voluntas transire ab actu bono in malum. Confirmatur, nam dictum est hanc bonitatem esse ipsam entitatem actus; ergo neque ablata bonitate potest manere eadem entitas actus, nec potest illa bonitas esse in actu, in quo prius non fuit. Sed objici solet, nam interdum potest voluntas operari circa aliquod objectum, quod successu temporis sit prohibitum, cum antea non esset: tunc ergo incipit esse malus

idem actus, qui erat bonus, quia incipit esse prohibitus. Respondetur negando sequelam: nam in hujusmodi casu, si actus interior prius revera fuit bonus ex objecto, necesse est, aut postea mutari in voluntate, etiamsi exterior actio continuetur, vel hominem excusari per ignorantiam, vel inadvertentiam inculpabilem adveniente prohibitionis tempore: atque ita fiet, ut actus semper perseveret bonus: quod ita patet, nam aut existente tempore prohibito, homo advertit prohibitionem, vel non. Si non advertit, et prius operatur bene, etiam postea, quia excusatur: si autem advertit, jam videt mutatam esse honestatem objecti, ergo non potest ab illa moveri ad perseverandum in eadem actione: ergo si prius movebatur ex honestate, necesse est, ut habeat novum actum, et quia moveatur ex delectatione, vel alia commoditate.

4. Dices, fieri posse, ut nec directe advertat, nec inculpabiliter ignoret, sed ex aliqua culpabili inconsideratione. Respondetur id fieri non posse sine mutatione in actu interno, nam si prior voluntas erat studiosa, intellectus prudenter judicabat de agendis: unde si non mutat actum, vel judicium, non potest inconsideratio subsequens esse culpabilis: oportet ergo, ut vel in particulari, vel in confuso advertat factam esse mutationem in objecto, seu in prohibitione, aut moraliter posse fieri, aut se teneri ad advertendum, an facta sit, vel aliquid simile; nam si nullam omnino ex his reflexionem faciat intelligi non potest, quomodo inconsideratio denuo sit culpabilis; si autem eam faciat, non poterit simul omittere voluntarie necessariam diligentiam, et perseverare in prudenti propositione objecti honesti, nam involvitur in hoc repugnantia, nam prudentia non judicat nisi consideratis omnibus sufficienter, quæ hic et nunc occurunt.

5. Sed quamvis hæc sint vera de mutatione actus de bono in malum, tamen de mutatione de bono in non bonum, Gabriel, in 3, d. 23, q. 4, art. 1, secutus Ocham, q. 13, et Cameracensem, in 1, quæst. 1, dicit, quamvis moraliter non possit actus bonus carere bonitatem: tamen supernaturaliter posse, quia licet naturaliter pendeat a voluntate et prudentia, tamen supernaturaliter potest sine his conservari. In hac sententia involvuntur aliæ partes, quantum scilicet pendeat actus voluntatis a cognitione objecti, et a voluntate de quibus supra; fortasse probabilius est ita essentialiter pendere, ut non possit aliter fieri, saltem afficiendo et informando voluntatem, prout nunc loqui-

mur: quidquid autem de hoc sit, certum in universum est, talem actum, a quoemque, et quoniamcumque fiat, non posse privari habitudine ad objectum honestum, quia haec est ejus substantia, et eadem ratione non poterit privari bonitatem, quæ in eadem habitudine consistit etiamsi fortasse fieri possit, ut illa bonitas non tribuatur homini si ab illo non procedat, vel si non prudenter et humano modo procedat.

6. *Dubium subortum ex nunc dictis.* — Unde obiter expeditur dubium illud, scilicet, an omnis actus, qui in homine cordato est bonus et honestus, et moraliter possit esse in amente, vel dormiente, seu quocumque modo carente usu rationis, nam si hoc potest esse, poterit quicunque actus bonus manere sine bonitate, quia sine usu rationis non est bonitas moralis; videtur autem id posse contingere, nam experimur nos in somnis habere easdem apprehensiones objectorum honestorum, et circa ea versari voluntatem; item amentes interrogati responderent se diligere Deum, quia bonus est: vel facere hoc, quia obedientia præcipit: ergo habent in voluntate actus ejusdem substantiae cum actibus, qui fiunt cum usu rationis. Respondetur supra dictum esse, aliud esse loqui de bonitate actus interioris quoad substantiam, vel quatenus moralis est: concedo igitur posse actum moraliter bonum manere quoad substantiam sine illa moralitate bonitatis, quæ ex libertate pendet, ut supra etiam tractatum est. Sed est considerandum, aliud esse loqui de libertate actus, in qua moralitas actus consistit proxime, ut supra dictum est, de qua præterea procedunt omnia dicta; aliud vero de dependentia actus ab usu rationis, qui non solum ad libertatem necessarius est, sed etiam ad manifestandam in objecto honestatem, ex qua sumenda est formalis bonitas actus, et hæc dependentia est essentialis eo modo, quo essentiale est voluntati cognitionem supponere, et hoc modo fieri non potest, ut actus voluntatis bonus duret, quin ex parte intellectus sit sufficiens rationalis cognitionis ad proponendam et judicandam honestatem objecti, an vero in amente, vel dormiente possit esse talis cognitionis, quidquid alii sentiant, mihi videtur non posse, nam suprema ratio objectiva, ad quam maxime videtur necessarius discursus, est ratio honestatis: ergo si amens potest hujusmodi rationem dijudicare, et ad alias inferiores rationes comparare, quid illi deesset ad sufficientem usum rationis, præcipue moralem, praesertim quia qui potest attin-

gere rationem honesti, poterit etiam oppositam mali cognoscere, quia opposita nata sunt fieri circa idem, et non est major difficultas in uno objecto, quam in alio; ergo posset haec inter se conferre, et consequenter inter illa eligere: ergo haberet sufficientem usum rationis ad peccandum. Neque oppositum suadet nulla experientia, quia licet amentes habeant actus circa eadem objecta materialia; tamen non discernunt rationem honestatis et rectitudinis: sed sicut animalia moventur naturali instinctu, ita hi feruntur quasi naturali impetu, quo ex habitu, vel speciebus relictis, et objecto proposito judicat hoc vel illud esse faciendum.

7. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo. Actus elicitus voluntatis præcise, ut elicitus, et interior, potest interveniente ignorantia, vel extrinseca prohibitione fieri ex non malo malo, vel e contrario, quamvis non possit fieri bonus. Hoc autem constat ex dictis, quia si homo vel ignoret vel non advertat malitiam objecti, potest elicere circa illum actum voluntatis non malum, qui potest idem numero durare oblate ignorantia vel inconsideratione, et tunc incipit esse malus; et ratio est, quia ad hoc non est necessaria mutatio in propria ratione objectiva, qua movet voluntatem: et idem est, si prius actus non erat prohibitum, et postea est prohibitum, propter eamdem causam, quia prohibitio non mutat delectationem, vel convenientiam ad naturam animalem, quæ sufficere poterat ad substantiam et entitatem talis actus: sine alterutra autem ex his mutationibus non potest intelligi, quod fiat hujusmodi mutatio in actu elicto, ut talis est, quia nullum est aliud caput, unde possit ori malitia, vel unde possit voluntas a malitia excusari, non sufficit autem hæc mutatio, ut hujusmodi actus fiat bonus, quia ad hoc necesse est, ut mutetur motivum voluntatis, et consequenter positiva habitudo actus ad objectum, quæ tamen non mutatur propter novam prohibitionem, vel considerationem nisi actus ipse mutetur.

8. *Tertia assertio.* — Ultimo dicendum est, si actus a voluntate elicitus consideretur, ut imperatus, vel imperabilis per alium, actus sic fieri potest de bono malus, et e contrario. Hoc probant rationes primæ opinionis, in n. 4, quia potest mutari intentio, et imperium, neque in hoc contradicunt auctores secundæ opinionis, sed potius idem sentiunt, quia, ut supra dixi, eadem est ratio de actu interiori, quæ de exteriori: sicut ergo actus exterior potest esse bonus, vel malus successive per denomi-

nationem ab actibus diversis, ita etiam interior.

SECTIO III.

Utrum divisio actus voluntatis in bonum et malum sit essentialis, vel accidentalis.

1. *Prima opinio.* — Prima opinio dicit esse subjecti in accidentia, tenet Cajetanus, 1, 2, quæst. 19, art. 1, tribuit D. Thomæ, 1 part., quæst. 48, art. 1, ad 2. Quia dicit bonum et malum non esse differentias in genere naturæ, sed in genere moris. Confirmatur, quia D. Thomas, citato loco, 1, 2, dicit ita se habere bonum et malum ad actum voluntatis, sicut verum, et falsum ad actum intellectus: sed hæc est divisio subjecti in accidentia: ergo et illa. Favet Bonaventura, in 2, d. 41, art. 1, quæst. 2, Durandus, d. 40, quæst. 3, Major, quæst. 1. Fundamenta sumenda sunt ex cursu omnium, quæ tractata sunt jam sect. præcedenti, scilicet, quia bonitas et malitia potest adesse et abesse eidem actui voluntatis, vel quia consistit in relatione, quæ mutatur mutato extremo. Additur confirmatio, quia actus voluntatis immediate dividitur in odium, vel amorem, aut in voluntatem simplicem, intentionem, fruitionem, etc., quæ sunt divisiones immediatae, et substantiales, et quodlibet ex illis membris potest dividi per bonum et malum; ergo signum est illas non esse differentias substantiales, sed accidentales.

2. *Secunda opinio.* — Secunda opinio est hanc esse divisionem per se et essentiale. Ita Conradus, 1, 2, quæst. 19, art. 1, et ita expavit ibi, D. Thomas, et 3, contra Gentes, c. 9, et in 2, 2, quæst. 4, art. 1, ubi in hoc ponit differentiam inter actus elicitos et imperatos, quæ nulla esset, si respectu utrorumque divisionis esset accidentalis. Sentit ergo respectu actus imperati hanc divisionem esse accidentalem; respectu vero eliciti esse essentiale, et rationem differentiae assignat, quia actus interior est per se in genere moris, exterior vero tantum per accidens: unde intelligitur quod ex D. Thoma supra citavimus, nam differentia in genere moris, absolute loquendo, non facit differentiam in genere naturæ, nisi in his, quæ per se, et intrinsecè sunt in genere moris, ut sunt actus eliciti a voluntate; unde idem sentit D. Thomas 1, 2, quæst. 18, art. 5, et bene Richardus, in 2, dist. 40, art. 2, quæst. 1, et Aegidius, quæst. 2.

3. *Prima assertio.* — Hæc quæstio eodem modo, et eadem distinctione, atque iisdem

principiis definienda est, ac præcedens. Itaque loqui possumus de actu voluntatis interno pure, ut interno et elicito; vel, ut imperatus, vel imperabilis est per alium actum. Primo dicendum actum pure interiore per se, et essentialiter dividi in bonum et malum, quamvis fortasse illæ vices non significant formaliter, sed tantum describant differentias essentiales, nec dico in hoc sensu divisionem esse adæquatam, seu sufficientem, aliquenam actus voluntatis esse possunt, qui hoc modo non sint boni, nec mali, de quo disputatione sequenti. Sed solum assero illa membra esse per se, et essentialiter diversa, quæ sine dubio est mens D. Thomæ, et patet ex dictis, quia ostensum est bonitatem sumi ex objecto formalis, et consequenter pertinere ad substantiam et essentiam actus; unde fit, quod licet malitia, ut sic, formaliter sumpta non dicat differentiam, indicat tamen illam in interiori actu, sicut irrationale, quamvis formaliter non sit differentia bruti, indicat illam; quod ita declaratur, nam talis malitia actus necessario indicat actum non tendere in objectum sub ratione honesti, sed sub alia inferiori, cum qua potest esse conjuncta malitia; ergo indicat essentiale differentiam diversam. Et hoc est quod D. Thomas, citatis locis, et in 2, dist. 24, art. secundo, ad 5, et quæst. 1, de Virtutibus, articulo primo, ad 3, dixit, malitiam ratione adjuncti, seu fundamenti esse differentiam. Confirmatur primo; nam hoc modo divisionis habitus in virtutem et vitium est per se, et essentialis, nam si sumatur respectu ejusdem naturæ, indicat essentiale differentiam formalium, ut quia frigus est malum igni, calor autem bonus, recte colligimus illas formas naturæ sua esse diversas.

4. *Ad argumentum in num. 2.* — Neque contra hanc assertionem quidquam urget confirmatione adducta pro priori sententia, potest enim retorqueri (sitque altera confirmatio). Nam actus voluntatis potest dividi per bonum et malum, et quodlibet ex his membris potest dividi per amorem et odium, intentionem, electionem, etc. Unde ex hoc argumento non magis potest colligi hanc divisionem esse accidentalem, quam reliquas, præsertim cum hæc fiat ex primis differentiis eorum, in ratione boni honesti vel non honesti. Dico ergo non esse inconveniens idem genus dividi per varias differentias per se, et essentialiter diversas, sicut habitus potest per se, et immediate dividi in virtutem et vitium, seu non virtutem, et in materialem, vel spiritualem, vel aliquid simi-

DISPUTATIO IX. SECTIO I.

le; nam sæpe differentiae sunt inadæquatæ, et sumi possunt ex variis convenientiis rerum: quod autem in post prædicamentis dicitur, generum non subalternatim positionum non posse esse easdem differentias, vel intelligendum est de adæquatib[us] differentiis, vel limitandum est ex eodem Aristotele in topicis, nisi illa duo genera sub uno tertio constituantur, sed de hoc alias.

5. *Secunda assertio.* — *Quomodo idem actus possit, aut non possit de vero transire in falsum.* — Secundo dicendum, si actus voluntatis consideretur, ut imperatus, vel imperabilis per alium actum, et quatenus sub ea ratione potest esse bonus, vel malus, sic est accidentalis divisionis: hoc constat ex doctrina D. Thomæ citata, adjunxit his, quæ dicta sunt in duabus sectionibus præcedentibus: nam imprimis quoad hoc eadem est ratio de actu voluntatis, et de quolibet alio exteriori: sed respectu actus exterioris talis divisionis est accidentalis, loquendo de bonitate et malitia formalis, ut loquimur: ergo. Item, quia sub hac ratione actus voluntatis non est bonus, nec malus per intrinsecam habitudinem ad objectum, vel ad circumstantias, ut transeunt in rationem objecti, sed per denominationem ab actu imperante, et in malis per parentiam talis relationis, si debita sit; sed hæc sunt extrinseca actui, et possunt abesse et adesse, et ita in sensu hoc recte procedunt rationes primæ sententia, et in eodem sensu accommodandum est illud exemplum, ibi adductum de veritate et falsitate; interdum enim actus intellectus est verus ex vi formalis rationis assentiendi, et tunc fieri non potest, ut idem actus secundum speciem sit verus et falsus successive, et in eo veritas dici potest essentialis differentia, non ratione actualis relationis, sed ratione fundamenti, ex quo habet talis actus infaillibiliter veritatem adjunctam, et hoc sensu comparatur veritas intellectus ad bonitatem voluntatis sumptam ex objecto: aliquando autem actus intellectus est verus, non ex vi objecti formalis, sed ratione materialis, quod ita esse contingit sicut judicatur, quamvis ex vi formalis objecti possit aliter se habere, ut patet in fide humana, et hoc modo divisionis actus in verum et falsum, potest dici objecti, nam idem actus qui est verus posset esse falsus, et quoad hoc æquiparari possunt veritas et falsitas, cum bonitate et malitia, quæ ab extrinseco provenit, et non ex intrinseca habitudine ad objectum.

6. *Quæstiuncula deciditur.* — Sed quæres in communi loquendo, et abstrahendo ab utroque

modo bonitatis et malitiae, qualis sit hæc divisionis actus moralis in bonum et malum. Respondetur in rigore rem esse æquivocam, et analogam, atque adeo divisionem illam in rigore esse multiplicem, et ideo nihil posse sine distinctione responderi, nisi sub illa divisione duas contineri, alteram essentialem, et alteram accidentalem, sicut in reliquis denominationibus esse sanum, vel quid simile per intrinsecam formam, et per extrinsecam denominationem est valde analogum: ita actum interiore esse bonum per se, aut ex vi obiecti, aut per solam extrinsecam relationem, analogum est: divisionis ergo, quæ utrumque modum complectitur non potest non esse analoga: est ergo sub distinctione respondendum, ut dixi.

DISPUTATIO IX.

DE INDIFFERENTIA ACTUUM VOLUNTATIS, ET SUFFICIENTIA DIVISIONIS IN BONUM ET MALUM.

Explicata qualitate præcedentis divisionis, solum superest declaranda sufficientia ejus, quæ solum pendet ex cognitione actuum indifferentium. Est autem advertendum hanc indifferentiam duplē esse posse: unam in ratione meriti et demeriti, ut si sit actus qui nec meritorius, nec demeritorius sit, quæ ab aliquibus hic tractatur, sed non est hujus loci: alia est in ratione bonitatis et malitiae, et de hac proprie est sermo, quæ tractatur a D. Thoma, de specie, et individuo, non autem de genere; vel quia constat actum moralem in communi, seu in genere posse abstrahi a bono et malo, vel quia per speciem intelligit totam essentiam actus præcise sumptam, per individuum autem intelligit actum prout est in re, et includit non tantum essentialia, sed etiam accidentales circumstantias, quæ illum moraliter afficiunt.

SECTIO I.

Utrum detur actus voluntatis indifferens secundum suam essentiam, vel speciem.

1. *Prima sententia.* — *Quo sensu habeat probabilitatis membrum.* — *Quo sensu improbabilis.*

— *Secunda sententia.* — Prima sententia affirmat omnes actus esse indifferentes secundum suam essentiam, quia omnes possunt bene, vel male fieri pro diversitate intentionum, vel circumstantiarum: hanc partem referunt Ma-